

que sunt Iesu Christi querentes¹ ad subuentionem terre, in qua redemptor Iesus Christus salutem nostram operatus est², nec expensis propriis uolunt parcere nec personis, pię huius operationis exemplum ad prelatos, principes etiam christianos et fideles alios, dum quod docent operibus implent, irreprehensibile transmittentes. Hinc est, quod aliis ad alias partes discurrentibus fratribus nostris nos quod sumus et possumus de mandato domni pape et uoluntate fratrum uniuersorum ad expugnandos crucis Christi et christiani nominis inimicos relictis afflictionibus propriis exponentes onus euangelizandi suscepimus personam nostram uoluntati diuinę, quę nobis utinam assit in hac parte, precipue deuouentes. Nouerit itaque celsitudo uestra, quod recedentibus a nobis fratribus istis presentium portitoribus litterarum precegebamus nos et aptabamus ad exilium, utpote qui captiuitate crucis opprobrium deplorantes opprobrium habundantibus et despectio superbis in euectionum paucitate et uictualium equitate necessaria magis apparere uolumus quam prelatos aut ecclesias aliquas expensis superfluis aggrauare. Quoniam autem mora magnum ad se trahit in hac parte periculum, cum in filiis suis Iesus Christus captiuus quidem in aliis in aliis teneatur obsessus et, qui semel in cruce pro salute nostra passus est, hodie et cotidie nichilominus ab ethnicis in ipsius crucis ignominia patiatur, imperialem exoramus et monemus in Domino pietatem, quatinus latorem presentium benigne recipiat et ita ad uindicandam iniuriam³ conditoris sicut decet imperatorem christianissimum magnanimiter accingatur, quod sicut prouidentia diuina maiestatem uestram super colla cuiuslibet terrene potestatis extulit, sic alios christianę deuotionis exemplo precellat et mundus uniuersus fidei uestre puritatem expertus ad conterendos hostes fidei libere accendatur et nos, cum ad desideratam presentiam uestram in proximo Domino ducente uenerimus, consilii et propositi uestri uoluntate cognita citius ad alias partes adiuuante Domino transeamus.

¹) *Vgl. Philipp. 2, 21.* ²) *Psalms 73, 12.* ³) *Vgl. Chroust S. 12 Z. 6: ..et ad uindicandam crucis iniuriam indui non differant.*

Korrekturnachtrag: Das Buch von W. OHNSORGE, Päpstliche und gegenpäpstliche Legaten in Deutschland und Skandinavien 1159 bis 1181 (Eberings hist. Studien 188, Berlin 1929) konnte für den zweiten Beitrag nicht mehr benutzt werden.